Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
BOTANICO-MEDICA
DE

R O S A,

QUAM

AUSPICE DEO,

CONSENTIENTE

GRATIOSA FACULTATE MEDICA

PRO LICENTIA

GRADUM, HONORES ATQUE PRIVILEGIA

DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

DIE VENERIS XXII. OCTOBRIS MDCCLXII.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES HERRMANN

ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Ex Officina JOH. HENRICI HEITZII Univerſitatis Typogr.

LIBERALITATIS

OTTONIANÆ

ILLUSTRI

DOMINORUM PRÆFECTORUM

COLLEGIO

VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMO, MAXIME REVERENDO, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMIS,

MERITIS

IN REM PUBLICAM ET LITERARIAM

IMMORTALIBUS,

MÆCENATIBUS SUIS

ATQUE

PATRONIS

PIA MENTE COLENDIS,

UT BENEFICIORUM MEMOREM ANIMUM

TESTARETUR,

HAS PAGELLAS

CONSECRAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

ROſarum confuſa admodum hiſtoria eſt, omniumque difficillime ſpecies ipſarum determinantur. Duplex ejus rei videtur cauſa eſſe. Primo, quod Roſa ad illa plantarum genera pertineat, quarum diverſas ſpecies, uno ſe oſtendere habitu, ſimilibus inſtrui foliis, ſapientiſſimus naturæ auctor voluit, nec niſi qui oculatioribus obſervantur characteribus diſtinxit. Exemplo poſſunt eſſe, gramina, liliaceæ plures, Iris præcipue, Allium, Jnncus, Orchis, Gallii tum genus, Rumicis, Ericæ, Caſſiæ, Sedi, Euphorbiæ, Meſembryanthemi, Ciſti, Phaſeoli, Aſtragali, Trifolii, Cardui, Gnaphalii, Caricis, Salicis, Mimoſæ, quarum plurimæ ſpecies facilius a ſe invicem diſtinguuntur, quam aptis verbis determinantur. Altera cauſa in eo conſiſtit, quod, cum Roſa regina florum odoris ſuavitate, colorum præſtantia, virtutum denique medicarum diverſitate, maturius ſine dubio præ reliquis plantis hominum in ſe oculos converterit, frequentius hinc & jam a tam longis temporibus culta fuerit, pro vario cœlo, ſoli ingenio & cultura, facilius in tot diverſas formas,

colores odoreſque degeneraverit (*a*). Movit fortaſſis hæc ratio quoſdam, ut unicam primitus extitiſſe Roſæ ſpeciem exiſtimarent, ex qua progreſſu temporis adeo inſignis enata fuerit familia. Sic Inluſtris LINNÆUS, *Spec. Plant.* ad Roſæ Spec. 10. „ Videri ſibi, ait, naturam miſcuiſſe plures, vel luſu plures ex una formaſſe.„ Et Celeberrimus GERARDE, in *Flora Gallo-Provinciali*, omnes ſub *Roſæ ſtipulis eminentibus*, nomine comprehendit. Verumenimvero ſi perpendadamus, nimiam eſſe quarundam, Roſæ e. g. Villoſæ a Moſchata differentiam, infloreſcentiaſque nunquam in ulla planta mutatas fuiſſe deprehenſas; ſylveſtres porro Roſas ſibi relictas ſemper eaſdem manere, (*b*) imo & in hortos translatas, non niſi magnitudine aut floris aut fruticis, id quod & HAGEDORNIUS *Cynosbatalog. L. V. C. 6.* & ego in Canina obſervavimus, vel forte etiam minus ſpinoſo habitu, aut flore pleno interdum variare; eas tandem quæ ante ſecula auctoribus deſcriptæ ſunt Roſæ, eaſdem hodieque obſervari; facile patebit, jure ſuo Roſarum ſpecies diſtingui. Quod ſi etiam vel maxime prognatas ex una omnes Roſarum formas eſſe ponamus

(*a*) Videntur etiam ex ſua natura Roſæ libentius aliis plantis luxuriare, id quod ex Roſis proliferis, quarum GRASSIUS, *Miſc. Acad. Nat. Curioſ. Dec.* 1. *ann* 4. & 5. *obſ.* 94. & ibidem Collectores Ephemeridum ex Horto Richteriano, tum HOTTINGER *Ibid. Dec. III. ann.* 9. & 10. *obſ.* 132. CNOEFFEL. *E. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 4. & 5. *obſ.* 55. WAGNER *Nov. Liter. Mar. Balth. a.* 1700. *p.* 51. VALENTINI, *Bedencken von Kunſt und Naturalien Cammern p.* 22. & WEINMANN *Phythanthoz. Tab.* 871. *fig. d.* meminerunt, & ex noſtra obſervatione, qua cultos in hybernaculo Roſæ frutices, ex medio flore & calycis laciniis folia protruſiſſe vidimus, vero ſimile fit.

(*b*) BARTHOL. *Angl. Lib.* 17. *de propriet. rer. pag,* 130. Hortenſem Roſam, ſi inculta manſerit & á ſuperfluis non purgata degenerare in ſylveſtrem, Roſam vero agreſtem diligenti ac frequenti mutatione & cultura veram Roſam effici, tradit, (referente SALZM. *Diſſ. de Roſa.* §. 21). cui equidem fidem, niſi propriis oculis videro, ut adhibeam a me impetrare non poſſum.

ponamus, neceſſe tamen erit inquirere in notas, quibus tam inſignis cohors varietatum adeo differentium, adeo conſtantium dignoſcatur. Has autem invenire certas, limites ponere haud ambiguos, & qui non fallant characteres condere, id multis premitur difficultatibus. Plane non ſatisfeciſſe eas, quæ uſque ad Celeberrimum LINNÆUM datæ ſunt definitiones, quivis Botanicæ ſolidioribus principiis eruditus perſpiciet. Primus Illuſtris Vir hic ordinare melius ſpecies & determinare, intraque certum numerum cogere adlaboravit, ſpinoſum primo aut inermem, glabrum aut hiſpidum, germinis, pedunculi, petioli, cauliſque habitum, poſtea etiam ſphæricam aut ovatam fructus figuram, pro characteribus qui Roſas diſtinguerent, potiſſimum adoptans. Verum cum & hoc labore multas ſpecies non comprehenderit, & ambiguas nimis notas ſpinæ ſuggerere videantur, operæ pretium futurum eſſe credidi, inquirere, an non alii & certiores forte, quibus ſpecies cognoſcantur, inveniri poſſint characteres. Didici hinc iteratis aliquot annorum obſervationibus, infloreſcentiam, calycis lacinias, pomi figuram, ſtipulas, foliorum dentes, ſigna in determinandis Roſarum ſpeciebus præbere tutiſſima; ſervavi tamen, ubi aut hæ notæ defecerunt, aut earum numerum augeri poſſe viſum eſt, præcipue in iis in quibus conſtantes magis eſſent, glabritiem, villoſitatem, hiſpidum, armatum, inermemque habitum, juxtaque has differentias eas quoque, quæ apud LINNÆUM deſiderantur, ſpecies determinavi. Si quis vero me reprehendat, cum aliquot ſpecies non examinaverim, cumque juxta Celeberrimum LINNÆUM *Spec. Plant. pag.* 492. facilius diſtinguat, qui paucas, quam qui plures ſpecies vidit, exorſum me tamen eſſe de iiſdem judicare, illi audaciam meam ſequentibus excuſo. Primo quod illas ſpecies, quarum nulla mihi obſervata eſt, quæque a LINNÆO recenſentur, ita comparatas eſſe & ex Linnæana definitione & ex Iconibus conjiciam, ut facili negotio a reliquis poſſint diſtingui. Dein, cum juvenilis quidam fervor, poſtquam in eligenda Inauguralis ſpeciminis

ciminis materia diu anceps hæſi, me ad hunc ſuſcipiendum laborem impuliſſet, obtinuiſſemque, ut melius hac in re verſarer, ab amicis illos Roſarum frutices quibus deſtituebar, eorundem autem magno cum meo dolore florem non vidiſſem, nolui tamen ſupprimere obſervatiunculas, quas & beatiſſimus Argentoratenſis ager, & inſtructiſſimus indefeſſi Præceptoris cura Botanicus hortus mihi ſuppeditarunt, maluique tenuis & imperfecti operis cenſuram ferre, quam ut aliis meliora dicendi auctor evadam, occaſionem negligere. Addi poſſe multa obſervatis meis, multa corrigi, forte & deleri poſſe, quædam etiam confirmatum iri, non modo novi, ſed & ſi corrigantur, ſi addantur, ſi confirmabuntur, lætabor, & quidquid ejus rei futurum ſit, dummodo aliis, ut præſtantiſſimi vegetabilium generis confuſam hiſtoriam perficiant, anſam præbuero, opellæ meæ finem adſequutus eſſe mihi videbor.

§. I.

Roſa, Græcis Ῥόδον, Arabibus Nard, apud omnes cultiores Europæ gentes Romanum nomen ſervavit. Græca vox juxta PLUTARCHUM *Sympoſ. l.* 3. a ῥέειν & ὀδμή, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, derivatur. Latinum nomen nec ex Hebræa lingua, nec a rore, nec a rodendo, quæ ROSENBERGII conjecturæ ſunt, *Rhodolog. Part. II. C. III.* originem trahere, ſed potius a Græco vocabulo ortum, aut primitivum videtur.

§. II.

Generis Characterem conlatæ inter ſe ſpecies ſequentem nobis offerunt.

CALIX Urceolatus, coriaceus, ſuperne coarctatus, in quinque lacinias foliaceas diviſus.

COROLLA Petala quinque aut plura, unguibus brevibus calyci inſerta.

GENITA-

GENITALIA MASCULINA Filamenta plurima, HALLERUS nonaginta numeravit, brevia, calycis collo inſerta. ANTHERÆ trigonæ. Eas microſcopio auctas vide apud LEDERMULLER *Obſ. Microſc.*

GENITALIA FEMININA Germina plura calyce comprehenſa. STYLI totidem breves, collo calycis arcte compreſſi, germini a latere inſerti, acuminati.

PERICARPIUM carnoſum, urceolatum, coronatum, uniloculare.

SEMINA plurima, hirſuta, calici adnata.

Eſſentialis ergo Character in Calycis propria ſtructura, ſtaminibus ſtyliſque pluribus conſiſtit.

Militat inter

CÆSALPINI plantas arboreas, corde e baſi ſeminis, ſeminibus pluribus, flore in ſummo fructu. Cl. I.

MORISONI fructus bacciferos, polypyrenos.

RAJI Arbores fructu umbilicato, humido, polypyreno, majore. Cl. XXIX.

KNAUTHII, *Method. a fructu.* Frutices bacciferos, foliis deciduis, ſpinoſis. Cl. XVII.

HERMANNI Arbores fructu umbilicato, bacciferas, polypyrenas. Cl. XXIII.

BOERHAAVII Arbores roſaceas, ovario calyce coronato, fructus ſeminibus multis calloſis. Cl. XXXIV.

RIVINI Regulares pentapetalas, pericarpio ſucculento, ſ. bacca. Cl. V.

RUPPII Regulares pentapetalas, bacca polypyrena.

LUDWIGII Pentapetalas Regulares, Polyantheras, Polyſtylas. Cl. X.

KNAUTHII *Method. a flore* Pentapetalas uniformes, capſulis ſimplicibus, carnoſis, ſingulis. Cl. XII.

TOURNEFORTII Frutices flore roſaceo, cujus calyx abit in fructum ſeminibus calloſis fœtum. Cl. XXI.

MAGNOLII Arbores calyce externo & interno, flore polypetalo, fructu non ſiliquoſo. Cl. XV.

LINNÆI *Method. Calycin.* Calyce floribundo, perianthio obvolvente ſemina nuda. Cl. VII.

Syſtem. Sexual. Icoſandria, Polygynia. Cl. XII.

Fragment. Syſt. Natur. Ord. XXXV.

HALLERI, Plantas, ſemine, flore, ſtaminibus, & petalis donatas, dicotyledones, polyſtemones, pomiferas, umbilicatas.

ROYENII Calycifloras. Cl. XI.

WACHENDORFFII, Phaneranthas, teleianthas, diperianthas, monanthas, aniſoſtemonopetalas, pleoſtemones, polyſtylas, calycipetalas, epicarpanthas.

ZINNII, Polyſtemones, gymnopolyſpermas, ſenticoſas.

GERARDI Roſaceas, Cl. IV.

SCOPOLI Caliciſloras. Cl. XXXIII.

§. III.

Sequentes ſpecies rite diſtingui poſſe, ex obſervationibus meis mihi viſum eſt.

I. ROSA calycis foliolis integris, germine globoſo, pedunculis, petiolis, cauleque aculeatiſſimis.

Spinoſiſſima.

R. caule petiolisſque aculeatis, calycis foliolis indiviſis. LINN. *Sp.* 5. *Fl. Suec.* 407.

R. germinibus ovatis, glabris, pedunculo, caule, petiolisſque aculeatiſſimis. LINN. *Syſt. Nat.* Edit. X. Sp. 13.

R. calycis foliolis indiviſis, pomo globoſo. HALL. *Enum. Helv. Sp.* 1. *p.* 347.

R. campeſtris ſpinoſiſſima, flore albo odorato. C. B. P. 483. & I. R. H.

R. V. CLUSII. *Hiſt. p.* 116. huc pertinet, licet pe-

dunculos

dunculos glabros pingat. eandem repetit DODON. p. 187. aliique.

R. IX. DODON. Pempt. II. L. 1?

Confuſio magna circa hanc Roſam, ut de Synonymis vix decidere liceat. Conf. quæ Illuſtr. HALLERUS huc refert Synonyma. Hujus varietatem facit HALLERUS *Roſam Pimpinellifoliam*, quam LINNÆUS in Speciebus Plantarum pro varietate Eglanteriæ adgnoverat, in Syſtem. Natur. vero foliolis rotundis ab eadem diſtinxit.

Habitus fruticis parvus, ramoſus. Flos in rami lateralis ſummitate ſingularis, variat colore roſeo & albo. Germen exiguum, globoſum, non uti LINNÆUS vult ovatum, (ut, an hanc noſtram viderit, dubitem,) glabrum, per maturitatem nigrum. Foliola parva, oblonga, ſaturate viridia, ſeptena, interdum novena, dentata dentibus integris. Habitus totus ſpinoſiſſimus.

II. ROSA calycis foliolis integris, germine ovato, caule ſubinermi.

Cinnamomea.

R. non ſpinoſa, calycis foliolis indiviſis, fructu oblongo. HALL. *En. Helv.* 2. & LINN. *Spec.* 1.

R. germinibus globoſis pedunculiſque glabris, caule aculeis ſtipularibus, petiolis ſubinermibus. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. Sp.* 3.

R. Sylveſtris odoratiſſimo rubro flore. C. B. P.

Roſæ hujus adhuc magis intricata quam præcedentis hiſtoria eſt, quum alii eas Roſæ ſpecies quæ ſuavius odoratæ ſunt, alii vero eas quæ ſpinis carent Cinnamomeas dixerint. Hinc cum multæ Roſæ aut per ætatem ſpinas deponere aut caſu amittere ſoleant, inſuperabilis circa Synonyma confuſio orta eſt. Doleo fruticem quem Roſæ Cinnamomeæ nomine accepi non floruiſſe. Liceat interim huc referre, quam in incultis locis

cis, & præcipue tribus ab urbe Leucis prope pagum *Holzheim* inveni Roſam, ab Halleriana, quam multas varietates ſub ſe comprehendere ex ejus Synonymis videmus, non multum diſcrepantem.

Frutex eſt tricubitalis, habitus totus gracilis, non multum ramoſus. Folia orbiculata, terna, quina, nunquam ultra, poſterioribus minimis. Dentes integri. Laciniæ calycis ovato-acuminatæ, ambitu integerrimo. Flos minimus, ſolitarius in extremitate rami. Germen exiguum, ovatum. Pedunculus ſubhiſpidus. Petiolus ſpinoſus. Stipulæ parvæ anguſtæ. Caulis vix ulla ſpina armatus. A Roſa II. HALL. differt habitu altiori, graciliori, foliis rotundioribus, paucioribus, dentibus integris, flore minuto.

De Roſa Cinnamomea DODON. & LOBEL. nihil decidere audet Illuſtris HALLERUS. Suſpicor eam differre. Inquirant Autoptæ.

Roſas ante lapſum ſpinis caruiſſe, quod BASILIUS Homil. 6. *in Hexaem. & Serm. de Paradiſ.* tradit, prono in pios luſus Eccleſiæ patris ingenio concedendum eſt. Vix adduci meretur illud Poëtarum, qui Roſam candidam initio, Veneris demum læſæ illius ſpinis, ſanguine tinctam, purpureum colorem induiſſe fingunt.

III. ROSA calycis foliolis integris, elongatis, petiolis villoſis.
Majalis. R. minor rubello flore, quæ vulgo a Menſe Majo Majalis dicitur. C. B. & I. R. H.

Hoc nomine hactenus dicta fuit Roſa noſtra, licet HALLERUS an non ſuæ Cinnamomeæ conveniat, dubitet. Synonymon tamen JOH. BAUHINI *Roſæ rubeolo flore parvo, ſimplici, non ſpinoſæ*, Hiſt. Plant. II. 39. b. quod TOURNEFORT. addit, non convenit, cum noſtra utique caulem ſpinoſum habeat, & aliena plane ab Icone folia. Nec Icon *Roſæ minoris, rubello multiplicato flore, aſperis ſpinis armatæ*, Ejuſd. II. 38. b. noſtram exprimit, quoniam, licet anguſtia foliorum ſatis reſpondeat,

ſpondeat, nimis tamen ſpinoſa eſt, nec flores ſolitarios habet.

Neque eandem apud LINNÆUM invenio, niſi forte hanc ſub ſua Cinnamomea comprehenderit. Miſſa mihi fuit *Roſæ Carolinæ* L. nomine, cum qua quidem foliis medio tenus integerrimis quodammodo convenit, ſed in reliquis plane abludit.

Eſt ergo Roſæ noſtræ flos parvus, quem nunquam niſi plenum vidi, amœne rubens, ex ala folii unicus. Germen ovatum glabrum, pedunculo glabro inſidens. Laciniæ calycis ſubglabræ, rubellæ, integræ, elongatæ ita ut petala ſuperent, apice latiuſculo. Petioli villoſi, mox inermes, mox ſpinoſi. Foliola quina, ſæpius ſeptena, anguſta, magis quam in omnibus reliquis oblonga, qua nota facile dignoſcitur, mollia, retrorſum decreſcentia, ſuperne ſaturate viridia, inferne cana, poſtica parte petiolum verſus integra, antica parte dentata dentibus integris. Stipulæ nil peculiaris habent. Caulis glaber, ad alas foliorum ſpinoſus. Ob tempus quo florere ſolet, *Georgica* quoque dici conſuevit. Sponte apud nos non naſcitur.

IV. ROSA calycis foliolis ſubintegris acutis, foliis rigidis, caule ſubinermi, germine globoſo, pedunculo hiſpido.
Provincialis.
R. rubra ſimplex & multiplex. C. B.
R. rubra flore valde pleno & ſemipleno & ſimplici fere. JOH. BAUH. II. 34.
R. Damaſcena. LOBEL. Jc. 206.

Auctores fere omnes in eo conſentiunt, ut hanc pro *Roſa Mileſia* PLINII habeant, alii *Prænestinam* credunt. Provincialis, a Galliæ oppido *Previns* ubi plurima naſcitur, fere omnibus dicitur. TABERNÆMONTANUS tamen Incarnatam officinarum Provincialem dicit, ſequutus forte SYMPHORIANUM, qui *Hortor.* L. XXX. C. 26. Roſam Provincialem colore inter rubrum & album medio eſſe, & in Etruria *Anconitanam* vocari refert. Hujus elegantem varietatem cultura produxit, *Roſam Præneſtinam verſicolorem*, C. B. & T. ex albo rubroque

que variegatam, quam propterea hortulani *die Grasblumen-Roſe* dicere ſolent.

Sunt Roſæ noſtræ flores intenſe punicei, parum odorati, pedunculo hiſpido inſidentes, qui ſæpiſſime non ex ala foliorum oritur, ſed rami continuatio eſt. Germen globoſum, hirſutum, interdum tamen ſuperne glabrum Calycis laciniæ valde convexæ, hirſutæ, acuminatæ, adpendiculis quidem ſæpius in ambitu inſtructæ, ſed raris & exiguis, media linea rubente notatæ. Calix etiam ſæpe ſex foliolis fit, quibus mediæ bracteæ, loco laciniarum calycis interponuntur. Folia ſunt terna, quina, rigida, inferne cana, ſupra ſaturate viridia. Petiolus hiſpidus, parvis ſpinulis recurvis obſitus. Caulis hiſpidis ſpinulis rubet, majores vero ſpinæ aut nullæ ſunt aut exiguæ.

V. ROSA calycis foliolis ſubintegris, acutis, ſtylis longis, *ſylveſtris.* glabris & contortis, germine ovato, glabro.

R. foliis & rotundo fructu levibus, calycis foliis diviſis, albo flore. HALL. *Enum. Plant. Helv. pag.* 349. *n°. 6.*

R. arvenſis candida. C. B. & I. R. H.

R. ſylveſtris folio glabro, flore penitus albo. JOH. BAUH. *II. p.* 44.

Roſa hæc adeo manifeſte a reliquis ſpeciebus diverſa Botanicis diu non ſatis diſtincta fuit. Illuſtris HALLERUS eam a Canina ob florem album diſtinxit, monuitque, calycem ſæpe integris foliolis fieri, & ſemper minus profunde ſectis. Certiorem Characterem ſpecificum in tubis detexit Experientiſſ. Dn. LA CHENAL, *in Specimine Medico Inaugurali Obſervationum Botanicarum Baſil.* 1759. defenſo §. XXIV. cujus veſtigia ſequutus ſequentia in Roſa noſtra obſervavi. Frutex humilior. Flos pene inodorus, ſed non ſemper omnis ruboris expers, qualem HALLERUS vidit. Inveni enim illam mox flore majore, diametri biuncialis, albo, ungue purpureo, mox flore minore,

minore, unciali tantum, carnei coloris. Calycis laciniæ ad modum præcedentis formatæ, interdum plane integræ, interdum autem exiguis adpendicibus inſtructæ, ſed nunquam adeo evidentibus, copioſis & ramoſis, quales in illis Roſis obſervantur, quibus Calyces diviſos eſſe dicimus, hinc eas ſubintegras vocare liceat. Apex etiam nunquam prouti in illis in longam & in fine dilatatam lingulam producitur, ſed breviter acuminatur. Germen eſt glabrum, ovatum, neſcio cur HALLERUS rotundum dicat, una cum pedunculo rubellum, qui longior & ſubhiſpidulus, interdum quoque plane glaber ex ala folii ſolitarius egreditur. Styli, in quibus præcipua ſpeciei diſtinctio eſt, longiores ſunt, quam in reliquis, ſtamina adæquantes, glabri, contorti. Foliola quina, ſeptena, glabra. Stipulæ exiguæ. Petiolus ſpinoſus. Caulis glaber, ſpinis ad alas ramorum incurvis.

De Synonymo JOH. BAUHINI dubito an huc pertineat, licet enim calyx & pedunculi rubentes conveniant, calyx tamen laciniatus pingitur, & ſæpe plures flores una egredi dicuntur, quod in mea nunquam obſervavi.

Vulgaris in ſterilibus ſylvarum marginibus.

VI. ROSA glaberrima, calycis ovati foliolis ſemipinnatis, caule petioliſque aculeatis.
Canina.

R. germinibus ovatis, peduncuIiſque glabris, caule petioliſque aculeatis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. Sp.* 9.

R. caule aculeato, petiolis inermibus, calycibus ſemipinnatis. LINN. *Flor. Suec.* 406. & *Spec. Plant.* 4.

R. foliis & fructu rotundo lævibus, calycis foliolis diviſis. MALPIGH. & HALLER. *Enum. Helv.* 5.

R. ſylveſtris vulgaris, flore odorato. C. B. & I. R. H.

Frutex eſt altior quam reliquæ. Flores biuncialis diametri; coloris ſæpiſſime incarnati, interdum etiam albi, mox ſolitarii in ſummitate ramuli; mox terni mediocribus pedunculis

inſidentes, medio fere ſeſſili; mox adgregati, quovis pedunculo bractea lanceolata ſtipato, unde ſpecierum multiplicatio apud Auctores. Calycis foliola in longum apicem producta, duobus utrinque, uno ab alterutro tantum latere pinnatis, duobus integris. Quæ quidem ratio in omnibus ſpeciebus, quarum calyces diviſi ſunt, obtinet, unde ſemipinnati dicuntur. Vetus hinc etiam ænigma ortum traxit:

Quinque ſunt fratres,
Tres ſunt barbati,
Sine barba ſunt duo nati,
Unus ex his quinque
Non habet barbam utrinque.

Cæterum, ut ad ſeria redeamus, germen eſt glabrum, evidenter ovatum, licet HALLERUS iterum rotundum faciat. Pedunculus glaber. Foliola quina, ſeptena, ovata, glaberrima. Hæc in planta culta profunde viridia fiunt, lucida, dentibus imbricatis, rubro apice terminatis, ultimumque par foliorum, ſi ſeptena adſint folia, ſemper ſub ipſis ſtipulis exſurgit. Petioli inferne aculeati, neque enim alibi in ulla ſpecie iidem armantur. Stipulæ ſunt magnæ, latæ, crenatæ, hamis longis, anguſtis, acutis. Caulis hinc inde ſpinis validis incurvis armatus. Ad ſepes & in dumetis abunde. Veteribus Cynosbatos aut Cynorrhodon dicitur.

VII. ROSA hiſpida, calycis foliolis ſemipinnatis, floribus ternis, longis pedunculis inſidentibus.

Centifolia.

R. germinibus ovatis, pedunculiſque hiſpidis, caule hiſpido, aculeato, petiolis inermibus. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. Sp. 6.*

R. caule aculeato, pedunculis hiſpidis, calycibus ſemipinnatis glabris. LINN. *Sp. Pl. 6.*

Ambæ hæ denominationes minus adcuratæ ſunt viſæ, quum nec petioli inermes, nec calyces glabri ſint.

R. pu-

R. purpurea. C. B. & T.
R. maxima multiplex. C. B. & T. Roſa Centifolia Batavica. Clus.
R. multiplex media. C. B. & T.
R. omnium Calendarum. H. R. P. & T.

Hæ Tournefortianæ varietates earumque iterum luſus, iis quos tradidi characteribus ſpecificis conveniunt, magnitudine tamen, colore & odore florum, florendique tempore diſcrepant. Ea, quam proprie Centifoliam Batavicam dicunt, habet flores magnos, coloris roſei, ſtamina pauca, quum plurima in petala degenerarint. Calycis foliola ſemipinnata, ut in canina, in latum apicem excreſcunt, & una cum germine ovato pedunculoque ſpinulis exiguis, quibus rubentes globuli inſident, exaſperantur. Hos microſcopio obſervatos exhibent E. N. C. *Dec. I. A. VIII. Obſ.* 7. Pedunculi ſæpe bracteis duabus lanceolatis ad ſui exortum ſtipantur, & conſtanter fere terni longique ex ſummis ramis egrediuntur. Folia ſunt ſeptena retrorſum decreſcentia, mox acuta, mox obtuſa, pagina inferiore villoſa, ſuperiore obſcurius viridia, ſimpliciter dentata, ambitu globulis rubris hiſpido, & ſæpe rubente faſcia ad lineæ latitudinem ornato. Petioli teretes ſpinulis hamatis & exiguis rubentibus globulis armati. Stipularum membrana anguſtior, cuſpidibus magis divaricatis. Tota planta præter caulem viſcoſa, odorata. Caulis ſpinis copioſiſſimis variæ magnitudinis, rubentibus, utplurimum recurvis. Floret tantum Majo Menſe.

Roſa multiplex media ab hac non niſi magnitudine floris differt.

Roſa purpurea abludit in eo, quod minus plena ſit, flores dilutioris coloris habeat, & ubi perfecte expanſi ſunt, petala exteriora reflectat, foliorum ambitus piloſus ſit, nec rubeat, caulis etiam paucioribus ſpinis exaſperetur. Hæc ſi per totum annum flores protrudit, *Roſa omnium Calendarum* dicitur, Germanis *die Monat-Roſe.*

 Varieta-

Varietates tantum has omnes eſſe, confirmat GRASSII *Obſervatio*, qui E. N. C. *Dec. I. A. IV. Obſ.* 93. eundem fruticem & Centifolias & vulgares purpureas Roſas produxiſſe refert.

Cæterum huc etiam pertinere videtur Roſa Francofurtenſis, inapertis floribus, alabaſtro craſſiore. *H. R. P.*

Centifoliam Roſam ſponte ad Philippos creſcere THEOPHRASTUS auctor eſt, ſi modo de noſtra loquatur.

VIII. ROSA, calycis foliolis ſemipinnatis, glabris, germine *Alba.* ovato glabro, pedunculo ſpinoſo.

R. germinibus ovatis glabris, pedunculis hiſpidis, caule petioliſque aculeatis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X.* *n°*. 10.

R. caule aculeato, pedunculis lævibus, calycibus ſemipinnatis glabris. LINN. *Spec. Pl.* 7.

R. alba vulgaris major. C. B. & T.

Habitus præcedentis viridior. Flores ex ſummitate binati aut ternati. Petioli villoſi, ſpinoſi. Stipulæ latiſſimæ dentatæ. Foliola ſeptena, ſuperne ſaturate viridia, inferne cana pubeſcentia, dentata dentibus acutis integris, magna, acuminata, rigidula. Caulis glaber, per ætatem ſpinas deponens. Floret Vere.

Hanc poſſe *Spineolam* PLINII Roſam eſſe, ſi modo *Campana* non ſit, DODONÆUS putat, TABERNÆMONTANUS vero *Alabandicam* aut *Campanam*.

IX. ROSA calycis foliolis ſemipinnatis, germine ovato, ſpi- *Damaſcena.* noſo, floribus ſubſolitariis.

An R. alba minor. C. B. & T?

Roſa Lacteola. I. B. *II.* 45.

Frutex eſt exiguus. Flores fert mediæ magnitudinis, cum

aliquo

aliquo rubore lacteos, pedunculo ſubſpinoſo in extremitate ramuli inſidentes. Foliola ſunt quina, fere æqualia, acute dentata, mollia, ſubvilloſa. Petiolus hiſpidulus ſpinoſus. Stipulæ magnæ dentatæ, cuſpidibus longioribus. Caulis glaber, ad alas incurvis ſpinis armatus. Floret Majo.

X. ROSA calycis foliolis ſemipinnatis, floribus in ſummitate *Moſchata.* ramorum racemoſis.

R. moſchata minor, flore ſimplici, &

R. moſchata minor flore pleno. I. B. *II.* 45.

Calycis foliola integra pingit, ceterum Icon bona.

Roſam moſchatam majorem Ejuſd. non vidi.

Frutex mediocris. Flores albi magnitudine caninæ, odore proprio. Simplicem non vidi. In plena, petala exteriora vix ſunt emarginata, plurima etiam acuminata, margine ad exteriora revoluto. Petala interna, quæ ex ſtaminibus degenerarunt, ſunt multo minora, inordinate diſpoſita, ſtamina occultantia, ungue longo qui filamentum ſtaminis fuit. Flores inferiores ſingulares ex axillis foliorum prodeunt. Ramum terminat racemus florum copioſorum, qui in quovis ramulo terni longis pedunculis inſident. Calycis foliola ſemipinnata, elongata, conſtanter reflexa, & una cum germine ovato & pedunculo cui inſidet, tenui villo obſeſſa. Ubi pedunculi ex caule glabro egrediuntur, ibi circulus circumſcriptus pedunculum a caule, villoſitatem a glabritie diſtinguit. Ad hunc locum poſita eſt ſtipula lanceolata, progreſſu temporis decidua, inſculpto remanente ſemicirculo, ut per articulationem quaſi pedunculus cauli inſertus videatur. Caulis, pedunculi, & petioli ab una parte virides, ab altera fuſci. Foliola quina, ſeptena, ſuprema ſemper terna, inferiori pagina caneſcentia, ſuperiori atro-viridia, ſplendentia, glabra, conſtanter acuta, ſerrata, dentibus integris ad inferiora reflexis: apex cujuſvis dentis adcurate inſpicienti purpureus videtur. Petioli hiſpidi,

canali-

canaliculati, ſpinulis incurvis validis armati. Stipulæ parvæ, anguſtæ, ambitu villoſo. Spinæ caulis glabri, ſparſæ, hamatæ, rubellæ. Floret per totum autumnum uſque in hyemem, flores autem primo ſtatim die marceſcunt.

Hanc *Coroneolæ* Roſæ PLINII, TABERNÆMONTANUS, *Campanæ* vel *Trachiniæ* CHABRÆUS, *Spineolæ* MATTHIOLUS ad Dioſcorid. convenire putat.

XI. ROSA calycis foliolis ſemipinnatis, germine globoſo, aculeato, foliis utrinque tomentoſis.
Pomifera.

R. germinibus globoſis, aculeatis, pedunculis hiſpidis, caule aculeis ſparſis, petiolis aculeatis, foliis tomentoſis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. n°.* 5.

R. foliis utrinque villoſis, fructu ſpinoſo. HALL. *En. Pl. Helv. p.* 350. *n°.* 8. & LINN. *Sp. Pl.* 3.

R. ſylveſtris pomifera major. C. B. & I. R. H.

Fruticis caulis firmus, ſæpe arbuſculam producto caudice referens. Flores parvi purpurei, in culta planta cuilibet ramo laterali ad minimum bini, ſæpius terni, pedunculis brevibus inſidentes, medio flore fere ſeſſili. In ſylveſtri tamen flores ſæpius ſolitarii. Pedunculi hiſpidi, bracteis lanceolatis ſtipati. Pomum globoſum, maximum, ſpinis flexilibus horridum, per maturitatem rubens, in ſpontanea vero, notante quoque HALLERO, nigrum. Segmenta calycis patentia, duplicato adpendiculata, elongata. Folia ſylveſtri quina, hortenſi ſeptena, illi minora, huic majora, decreſcentia, utrinque tomentoſa, hinc inde etiam hiſpida, glutinoſa, mollia, ſuperiori pagina viridiora, dentata dentibus denuo dentatis, odorata. Petiolus teres, villoſus, ſpinulis rectis armatus. Stipulæ ſagittatæ, latæ, margine hiſpidæ, cuſpidibus erectis. Spinæ caulis glabri in alis & internodiis validæ, incurvæ, virides, per ætatem fuſcæ. Floret ingruente æſtate.

XII. ROSA

XII. ROSA calycis foliolis ſemipinnatis, foliis ſubtus rubiginoſis.
Eglanteria.

R. germinibus globoſis, pedunculiſque glabris, caule aculeis ſparſis rectis, petiolis ſcabris, foliolis acutis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. n.* 2.

R. aculeata, foliis odoratis, ſubtus rubiginoſis. LINN. *Spec. Pl.* 2.

R. foliis odoratis, ſubtus rubiginoſis. HALL. *Enum. Pl. Helv. n.* 7.

R. ſylveſtris foliis odoratis. C. B. & T.

R. Eglanteria. TABERN. & aliorum.

Frutex eſt mediocris. Flores albi aut incarnati, exigui, vix uncialis diametri. Pomum ſubglabrum, & obſervante quoque HALLERO ovatum, nequaquam quod LINNÆO viſum eſt, globoſum, per maturitatem nigrum. Laciniæ calycis pinnatæ, hiſpidæ. Pedunculi hiſpidi conſtanter, neque juxta Linnæanam denominationem glabri. Folia quina, ſeptena, ambitu fere orbiculari, mox acuta, mox obtuſa, omnium ſpecierum minima, dentata, facie prona & in dentium peripheria ferruginoſis punctis conſperſa, ſupina ſuperficie mox nigricante, mox luteſcente. Petioli ſubvilloſi, rubiginoſi, aculeati. Stipulæ magnæ, latæ, villoſæ & hiſpidæ. Caulis aſperrimis quidem & magnis ſpinis diſtinctus, ſed rarioribus, ſæpe etiam deciduis. Tota planta caule excepto viſcida eſt & odorata, multaque præterea cum Centifolia communia habet, ut ſuſpicio animum ſubire poſſit, eam ex Eglanteria prognatam eſſe. In ſepibus æſtatis initio abunde floret.

Ceterum in nativo ſolo accidentalibus quibuſdam proprietatibus variare ſolet, hinc ſpecies multiplicatæ apud Auctores. Sic DODONÆUS & ZINNIUS *Hort. Gœtting.* varietatis flore flavo mentionem faciunt. Recenſitis tamen a nobis in definitione Characteribus omnes conveniunt.

Ab hac Eglanteria Roſa LINNÆUS *Syſt. Nat. Ed. X.* diſtinxit

xit *Roſam Pimpinellifoliam* ſolis foliolis obtuſis, quæ autem nota, quum obtuſam aut acutam foliorum extremitatem etiam in aliis non conſtantem eſſe obſervaverim, nequaquam ſufficere videtur. Ceterum ſi ulla datur in rerum natura Pimpinellifolia Roſa conſtanti charactere inſignita; eam potius cum Roſa ſpinoſiſſima, ad quam etiam HALLERUS refert, quam cum hac conven're crediderim.

XIII. ROSA calycis foliolis ſemipinnatis, pomo globoſo, inermi, foliolorum dentibus dentatis.
fœtida.
R. lutea ſimplex. C. B. & T. & I. B.

Frutex mediocris. Floribus luteis ſimplicibus, biuncialibus, cimicum odorem exacte referentibus inſtruitur. Germen globoſum, glabrum. Laciniæ calycis ſemipinnatæ, quarum aliquæ in extremitate ſæpius in foliolum expanduntur, dorſo interdum hiſpidæ. Pedunculus rami utplurimum continuatio eſt, & glaber. Petiolus hiſpidulus, gracilior quam reliquarum, & ſpinuloſus. Foliola ſeptena, fere rotunda, acuminata, inferiora minima, ſaturate viridia, acute dentata, dentibus dentatis, pagina inferiori hiſpida. Stipulæ mediocres. Caulis hinc inde ſpinis paucis. Floret Aprili.

Hæc elegantem varietatem produxit, florem interne egregie coccineum gerentem, extus flavicantem, ſæpius etiam, qua puniceus color deficit, in interiore ſuperficie ſtriis pulcerrime luteis variegata. Odorem vix habet manifeſtum. Ceterum ſtigmata ſunt violacea, pagina foliorum inferior minus hiſpida, ſpinæ graciles rectæ. Fructum matureſcere nunquam vidi. In Africa & Ægypto naſci Roſas luteas DODONÆUS auctor eſt. Noſtras hyemes optime fert, & prius quam reliquæ floret.

XIV. ROSA calycis foliolis ſemipinnatis, pomo hæmiſphærico, foliolorum dentibus integris, ſtipulis linearibus dentatis.
Hæmiſphærica.

R. flava

R. flava odoris expers. Bellon. *Obſerv. L 2. C. 32.*
R. lutea multiplex. C. B. & T.
R. alpina ſ. vulpina. Th. Tabern. *L. III.*

Hanc, licet varietatem præcedentis eſſe ſuſpicari quis poſſit, quum tamen fere in nulla non parte ab eadem differat, non ex illa, ſed ex alia ſimplici, quæ iiſdem characteribus gaudeat, ortam fuiſſe arbitror.

Frutex enim rectis & gracilibus virgis adſurgit. Flores ſunt magni, pleni, lutei, odore nullo. Petala interiora minima, criſpa. Germen hæmiſphæricum, ſubglabrum. Calycis laciniæ glabræ, ſemipinnatæ, margine villoſo, quarundam apice in latum foliolum dentatum ſæpius excreſcente. Pedunculus rami continuatio glaber. Foliola longa, ſæpiſſime novena, diſtantia, glauca, dentata dentibus integris. Petiolus gracilis, glaber; ſtipularum membrana anguſtiſſima, longa, hamis profunde ſectis, anguſtis, dentatis. Caulis ſpinis copioſis rectis, gracilibus armatus. Fructus abortit. Floret Aprili.

Roſam luteam inſitione in Geniſtæ truncum oriri, vetus fama eſt, experientia nondum probata.

Hæ ſunt illæ ſpecies, quarum characterem iterata obſervatione conſignavi. Liceat his addere, quam *Roſæ Virginianæ omnium minimæ* nomine, ab amico ex horto Leydenſi accepi, quæque, ſi modo ex unico ſicco exemplari judicare liceat, a reliquis vere diſcrepare videtur.

XV. ROSA *Virginiana.* calycis foliolis ſemipinnatis, germine globoſo pedunculoque glabro, caulis ſpinis flexilibus, foliolis orbiculatis, truncatis.

Hujus frutex exiguus ſit neceſſe eſt, cum integer ramus lateralis vix ſemilineam craſſitie æquet. Flos, qui albus fuiſſe videtur, minutus, uncialis, ſolitarius ex ala, pedunculo longo glabro inſidet. Germen eſt ſphæricum. Laciniæ calycis

ſemipinnatæ. Petiolus ſpinoſus. Foliola quina, ſeptena, ambitu rotundo, profunde dentata, glabra, apice quaſi truncata, infima quater minora ſupremo. Stipulæ ſolito modo ſe habent. Caulis ſpinæ graciles, flexiles, rectæ.

Sequentes ſpecies ex LINNÆO addo, quas videre non contigit.

XVI. ROSA germinibus globoſis, pedunculiſque glabris, caule aculeis ſparſis, rectis, petiolis ſcabris, foliolis obtuſis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. A.*
pimpinellifolia.

R. ſylveſtris pomifera minor. C. B. & LINN. *Fl. Lapon. n.* 203.

An R. alpina pumila, Montis Roſarum, Pimpinellæ foliis minoribus ac rotundioribus, flore minimo, livide rubente? H. CATH.

Conf. de hac Sp. noſtra I. & XI.

XVII. ROSA germinibus globoſis hiſpidis, pedunculis ſubhiſpidis, caule aculeis ſtipularibus, petiolis aculeatis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. n.* 4.
Carolina.

R. foliis ſerratis medio tenus integerrimis. LINN. *Sp. Pl.* 12.

R. Carolina fragrans, foliis medio tenus ſerratis. DILLEN. *H. Eltham.* 325. *t.* 245. *f.* 316.

XVIII. ROSA germinibus ovatis pedunculiſque hiſpidis, caule petioliſque hiſpido-aculeatis. LINN. *Syſt. Nat. Ed. X. n.* 7.
Gallica.

R. foliis carinatis ſubtus ſcabris. DALIBARD. *Pariſ.* 145. & LINN. *Sp. Pl.* 8.

Hanc LINNÆUS non vidit. Provincialem Roſam innui crederem, ni germina ovata diceret.

GRASSIUS

Graſſius *in Miſc. Ac. Nat. Cur. Dec. I. Ann.* 4. *Obſ.* 94. Gallicæ Roſæ mentionem facit, quam *Acanthon rubellam plenam* I. B. eſſe ſuſpicatur. Nil decidere valeo.

XIX. ROSA germinibus ovatis, pedunculiſque hiſpidis, caule *ſempervirens.* petioliſque aculeatis. Linn. *Syſt. Nat. Ed. X. n.* 8.

R. caule aculeato, foliis quinis glabris perennantibus. Linn. *Spec. Pl. n.* 10.

R. ſempervirens Jungermanni. Clus. *Hiſt.* 2. *append. alt.* Dillen. *H. Elthan.* 326. *t.* 246. *f.* 318.

R. moſchata ſempervirens. C. B. 482.

Diverſa eſt a noſtra moſchata No. X. & floribus non ramoſis, & foliis non deciduis. Dicitur Germaniam inhabitare.

XX. ROSA germinibus ovatis pedunculiſque glabris, caule *Indica.* ſubinermi, petiolis aculeatis. Linn. *Syſt. Nat. Ed. X. n.* 10.

R. ſubinermis, foliolis quinis ſubtus tomentoſis: impari majori, ſtipulis obſoletis. Linn. *Sp. Pl. n.* 9.

R. Chuſan glabra, Juniperi fructu. Petiver. *Gazophyl.* 56. *t.* 35. *f.* 11.

Chinæ civis eſt.

Eam Linnæus ita deſcribit. Rami inermes, rarius armati, una alterave ſpina tenuiſſima verſus folia vel in petiolis. Folia pinnata foliolis quinis, ſubtus tomentoſis, ſupra glabris, ſerratis, extimo duplo majore. Pedunculi longi, nudi, ſimplices. Calyx inciſus lævis. Fructus magnitudine Sorbi aucupariæ.

XXI. ROSA germinibus ovatis, glabris, pedunculis cauleque *pendulina.* hiſpidis, petiolis inermibus. Linn. *Syſt. Nat. Ed. X. n.* 11.

R. fructibus oblongis pendulis. Linn. *Spec. Plant. n.* 11.

R. Sanguiſorbæ majoris folio, fructu longo pendulo. Dill. *H. Elth.* 235. *t.* 245. *f.* 317.

Recenſentur paſſim ab Auctoribus plurimæ adhuc ſpecies, quæ exactam deſcriptionem & determinationem expectant. Docebit forte dies, ad quam præcedentium referendæ, aut an ad diſtinctas ſpecies amandandæ ſint.

Præcipuas ſubjicio:

R. tertia Hall. *En. Pl. Helv. p.* 348. cui nomen non imponit. Habitat Helvetiam Auſtralem. Vide de ea ipſius deſcriptionem. R. foliis glaucis rubedine tinctis, flore rubro. Scheuchz. Hall. *En. Sp.* 4. R. pomifera fructu nigro rotundo, & R. pomifera, foliis glabris, fructu nigro, longo, ventricoſo, gigartino, Hallero apud Stæhelinum viſæ. *En. Pl. Helv. p.* 350. R. non ſpinoſa ramoſiſſima. Hall. *It. Helv.* §. 22. R. folio ſubrotundo & criſpo C. B. R. Cretica Fraxini folio, R. Cretica montana, foliis ſubrotundis, glutinoſis & villoſis, R. Orientalis pumila, flore purpureo parvo. Tournef. *in Coroll. ad* I. R. H. Roſæ colore viridi Matthiolus *C.* 51. ex Camerario meminit. Roſam cœruleam in multis Italiæ locis naſci Horstius ait, in *Pharmacop. Galeno-Chymica Part. I. L. VI. de re med. C.* 38. Eam Chabræus etiam habet, *Sciagr. Stirp. fol.* 128. Sed vereor ut vera Roſa ſit.

Roſam Burgundicam minimam aluit ab aliquot abhinc annis Hortus noſter Academicus, ſed cum nunquam floruerit, præterita etiam hyeme perierit, de ea adſerere nil poſſum. Habitus ſuadet, eam Majali affinem eſſe.

§. IV.

A Roſis multa alia nomen traxerunt, vel ob odorem, vel colorem, vel figuram, quæ, ut omnis ambiguitas tollatur, ſubjungere liceat.

Ob

Ob colorem, a Roſa nomen ſortita eſt iſta inflammatio cutanea, quod Eryſipelas vocamus, Roſa mineralis Angeli Salæ, Roſa vitæ mineralis, Roſa Solis ſ. Droſera. Ob odorem Radix Rhodia & Lignum Rhodium cognomen nacta ſunt. Ob figuram denique Roſa de Jericho, quæ Anaſtatica eſt; Roſæ Sinenſes variorum Auctorum, quæ Hibiſci ſpecies ſunt; Roſæ alpinæ GESNERI, quæ inter Azaleam militant; Roſa aſinorum, fatuina, montana, paſſim apud Auctores, Germanis *Gichtroſen*, quæ Pœonia eſt; Roſa Indica magna GESN. quam recentiores Tagetem patulam L. dicunt; Roſa Menapia DODON. Viburnum Opulus L.; Roſa autumnalis ſ. tranſmarina RUELLII eſt Alcea roſea L. Roſæ Marianæ TRAGI ad Agroſtemmatis, Silenes, Cucubali L. genera pertinent. Roſa crepitacularis TABERNÆM. eſt Papaver rhœas L. Tandem a Roſa TOURNEFORTIUS integram Claſſem in ſuo Syſtemate denominavit. Roſa ſic dicta Salicis inſecti opus eſt, & a Cyniphe atra thoracis tergo vireſcente LINN. *Syſt. Nat. Sp.* 11. ad ſpeciem ſtrobili contexitur. conf. de hac GRASSIUS *Miſc. Ac. Nat. Cur. Dec. I. Ann.* 3. *Obſ.* 264 WINCKLER *Ibid. Dec. I. A.* 6. *Obſ.* 117. *Act. Phyſ. Med. Vol. IX. Obſ.* 44. & EYSELIUS in tractatu *die wundernswürdige Weiden-Roſe*, *Erfurt.* 1711.

Placet, quum de Inſectis loquendi occaſionem dederit Salicis ſtrobilus, paucis præcipua quæ Roſis paſcuntur Inſecta recenſere. Præter polyphagas iſtas Phalænæ Rubi, Neuſtriæ, Cajæ, Diſparis larvas, Roſæ foliis præcipue delectantur Cicada Roſæ LINN. 42. Phalæna Tinea Cynosbatella L. 251. Phalæna Bombyx pavonia L. 6. Phalæna Bombyx libatrix L. 54. Phalæna Geometra Betularia L. 143. Phalæna Tortrix Roſana L. 208. Tenthredo Roſæ L. 21. Tenthredo cincta L. 22. Tenthredo Cynosbati L. 30. Apis centuncularis L. 4. Neque ullo alio magis quam Roſæ flore gaudent Scarabæus auratus L. 52. quod & MURALTUS confirmat E. N. C. *Dec. II. A. II. Obſ. XX.* tum Scarabæus faſciatus L. 47.

& alius qui in LINNÆO non extat, Scarabæus muticus, totus hirſutus, ater, elytrorum pluribus punctis flavis, abdominis quatuor. Habitare in Roſa quoque vidi Attelabum Apiarium L. 7. eademque gaudere Meloën veſicatorium L. 3. ſive Cantharidem officinarum LEMERY refert. Ut ita adpareat, nugatos eſſe antiquos Naturæ ſcrutatores, ARISTOTELEM, THEOPHRASTUM, PLINIUM, ÆLIANUM, & cum illis SCALIGERUM & ALDROVANDUM, qui Scarabæos odore Roſarum extingui tradiderunt. Adhuc ineptius CÆSALPINUS *Dæmonolog. C.* 23. Dæmones Roſarum odorem ferre non poſſe refert.

Artificia circa Roſam nil attinet dicere. Qua ratione aduri debeat, conf. RUELL. *L. I. C.* 127. quomodo præcox haberi poſſit, MONARDES *de ſucc. Roſ. temp. p.* 45. quomodo diu recentes ſervari poſſint, & quo pacto allii ope juxta plantati odor augeri queat, aliaſque artes, quæ aut puerili ingenio excogitatæ, aut experientia non ſatis confirmatæ ſunt, vide apud SALZM. *diſſ. de Roſa* §. 21. & ROSENB. *Rhodol. p.* 205. &c.

§. V.

Roſis quodnam temperamentum ſit, plurimus apud Veteres diſſenſus eſt. GALENUS dudum frigidas eſſe Roſas pronunciaverat, & qui eum ſecuti ſunt fere omnes, MESUE contra calidas eaſdem contendit. Refutat Meſuen MONARDES *in tract. de Roſ. temperat.* excuſat tamen eundem, quod cum aliis in locis frigidam eſſe Roſam innuat, interpretis forte aut librariorum vitio calida Roſa apud eum legatur. Videtur etiam SIMON PAULI *quadrip. bot.* Meſuen cum Galeno conciliare. Quo quævis Roſæ pars quatuor Galenicarum facultatum gradu pollere olim credita ſit, vid. apud DODON. & FERNEL. *meth. med. L. V. C.* 3. quæ doctrina, licet exploſa hodie ſit, ſanior tamen eſt eorum ſententia, qui ex Signatura vires medi-

medicamentorum eruere voluerunt. Lubet ROSENBERGII *Rhod. P. II. C.* 20. *de ſignatura Roſæ* loquentis verba adponere. Riſum teneatis amici: „ Roſa tum inaperta capitulum „ referens, tum aperta cerebrum inteſtinorum ad ſimilitudi„ nem variis gyris circumflexum repræſentans, rubello pyra„ midali calyce cor exprimens, tunicoſis alabaſtris complica„ ta foliola complectentibus uterum fœtum continentem oſten„ dens, atque aliis nobilioribus partibus conformis & analoga „ iiſdem etiam proprie dicata ſpeciali naturæ privilegio vide„ tur. „ Hoc erat ſapere! En nervinam, en cordialem uterinamque virtutem ab ipſa natura monſtratas! At tacuit laxandi vim aliaſque: nempe in his bonos viros imaginatio deſtituit. Mitto igitur Veterum commenta, & quid Chemia nos doceat exponam.

Floribus Roſæ ineſſe deprehendimus oleum eſſentiale æthereum deſtillatione inde obtinendum, conſiſtentiæ ſpiſſioris unguenti ad inſtar, in ea ratione qua Roſæ odoratæ ſunt vel copioſius vel parcius, ita tamen, ut & ex fragrantiſſimis perciſſimum obtineatur, & ægre colligatur, unde quoque rariſſimum illud BOERHAAVE *Elem. Chym. T. II. proc. XXV.* pronunciavit, & Paradoxum Chymicum vocat ETTMULLER *Coll. Pharm. Schrœd. p.* 643. TACHENIUS ex centum libris florum Roſæ non niſi ſemunciam olei obtinuit. Argentoratenſes felices illius poſſeſſores eſſe ROSENBERGIUS tradit, *Rhod. P. II. C.* 27. Qua ratione copioſius obtineatur docent E. N. C. *Dec. I. A. VIII. Obſ.* 66.

Ceterum e Roſæ floribus aquæ ope mucilago, alcohole parum reſinæ obtinetur. Salem eſſentialem more omnium plantarum continet, an vero eundem cryſtalliſatione oculis quoque ſiſtat experiri, nec temporis anguſtia, nec anni tempeſtas permiſerunt. Varia hæc in Roſis continentur proportione, unde HERMANNUS in *Cynoſ. Mat. Med.* diverſas Roſas ad diverſa capita plantarum diverſis principiis conſtantium refert. Deſtructoria vero analyſis, nihil præ reliquis plantis, ex qui-

bus non animalium producta obtineri conſtat, peculiare præbent, phlegma nimirum, ſpiritum acidum, oleum empirevmaticum, remanente terra fixo alcalino ſale foeta. Ex quibus omnibus videmus, præter generales vires, quæ ab odorato oleo, mucilagine, ſale, excitantes, demulcentes, incidentes jure expectantur, Chemiam nos de ſpecificis Roſæ virtutibus, nec de ulla alia planta nil quidquam docere, ſed diſci eas ex

plena rugis experientia

Uſuque naturam ſequuto.

§. VI.

Roſæ uſus antiquiſſimus pariter eſt, & latiſſime patuit. Ad voluptatem & lætitiam, (neque enim aliter florem decebat, qui ſe & venuſtate & fragrantia commendaret,) plurimus ejuſdem uſus apud Veteres. Ea præcipue coronata fuiſſe in conviviis capita foecundoſque calyces, navigiorum apluſtria, deorum ſimulacra, ex pluribus ſcriptorum teſtimoniis, quin & Hipponæ Deæ in equilibus ſtatuam ex APULEJO *III. Metamorph.* videmus. Spargi item roſas ad ſua monumenta teſtamento eoſdem caviſſe, Inſcriptio Mediolanenſis apud SALZMANNUM *Diſſ. de Roſa, Arg.* 1680. & Ravennas apud ROSENBERG. *P. I. C.* 3. teſtantur. In tricliniorum laquearibus ſuſpenſa Roſa ſilentium dictorum actorumque convivis injungebat, unde proverbium, *ſub Roſa dicere*, ortum trahit. Serotinas quoque Roſas magna cura quæſitas fuiſſe ex illo HORATII *L. I. Od.* 38. videre eſt. Quin & luxum in Roſæ uſu eo uſque extenderunt, ut nequiſſimum hominum Verrem caput collumque roſeo ſerto coronatum, more regum Bithyniæ pulvino pellucido Melitenſi Roſa farto inſediſſe, reticulumque Roſa plenum naribus admoviſſe, apud CICERONEM *in Verr. V.* & Heliogabalum Roſarum folia per laquearia velut per impluvium effundi juſſiſſe, apud LAMPRIDIUM, & Commodum lectulis roſeis incubuiſſe apud SPARTIANUM legamus. Sed

ſatis

ſatis de his. Medicum Roſæ uſum, qui nos propius reſpicit, conſiderabimus.

§. VII.

Virtus Roſæ refrigerans, temperans, demulcens, aperiens pari paſſu cum calefaciente, excitante, roborante, nervina celebratur, ut mirum videri poſſit, ab eodem remedio contrarios plane effectus produci. Hinc illæ apud Veteres controverſiæ. Verum adcurate inſpicienti res planiſſima videbitur. Ubi enim refrigerare, ubi temperare Roſæ ope animus eſt, ſuccus ex Roſa exprimitur, & hoc modo volatile oleum per ſe jam in ſatis parca quantitate præſens partim avolat, partim viſcoſa mucilagine irretitur, ut nulla ſit illius actio. Hinc non modo nulli miramur, ſed & perſuaſum habemus cum Dioscoride *L. I. C.* 112. aliiſque, ſuccum Roſarum ob partes aqueas, acidas, egregie refrigeraturum, & quum ſapo vegetabilis ſit, febribus quibuſdam conducturum, Icterum notante Matthiolo *ad Dioſc.* blande reſolutum iturum & palpitationi cordis commodaturum eſſe. Solent quoque Roſas vel olivarum oleo vel porcinæ adipi incoquere, & ſic *Oleum* & *Unguentum Roſatum* parare, utraque refrigerandi vi celeberrima, prius quoque, Homero teſte, ab antiquiſſimis jam temporibus uſitatum. Largitur his quidem medicamentis Roſa plurimum quod in ſe nervinæ virtutis habet, verum non ob Roſam, ſed ob excipientem potius baſin oleum iſtud & unguentum refrigerantia cenſentur, ideoque tum demum exhibentur, ubi emollienti pharmaco blande nervinum addere indicatio jubet, hinc in ambuſtis præcipue & hæmorrhoidum ac capitis doloribus eorum uſus eſt. Præter oleum & unguentum, Roſam hodie ad temperandum non amplius recipimus, quum alia efficaciora & præſtantiora ſuppetant.

Alio plane modo procedimus, ubi blande ſpiritus excitare, & nervina Roſæ virtute curare intendimus. Tunc vel Roſis

integris naribus admotis, vel ſpiritu rectore aquæ puræ juncto utimur, eodem enim ſub puri olei forma uti, raritas & pretium vetant. Aqua igitur e Roſis deſtillata (cujus mentionem inter Arabes primus AVICENNA facit, notante CLERICO *Hiſt. de la Med. p.* 772. *ſq.* & inter Græcos ACTUARIUS *Meth. Med. L. V. C.* 4. ſub nomine *Rhodoſtagmatis*, probante eodem ibid. & FREINDIO *Hiſt. Med. p.* 212.) analeptica eſt, & hinc inter quatuor ſic dictos cordiales flores Roſa antiquitus militat. Verum id curioſum, cum plurimi Roſarum odore reficiantur, non modo feminas hyſtericas, quas quidem ſuaveolentia cuncta minus bene ferre notum eſt, tamen a nullo alio magis quam Roſæ odore adfici, ſed & permultos potioris ſexus eundem adeo averſari, ut ſyncope aliiſque ſymptomatibus correpti, quin extincti fuiſſe legantur. Exempla propoſuerunt INGRASSIAS, SCHENCKIUS, AMATUS, CROMERUS, CASP. SCHOTTUS, HOEFERUS *in Herc. Med.* LANGIUS, SCHNEIDERUS, ZWINGERUS, LEMERY *Cours de Chymie*, LEDELIUS in Eph. N. C. *Dec. II. Ann. II. Obſ.* 140. & *A. X. Obſ.* 8. HÜNERWOLF. *Ibid. Dec. II. Ann. V. Obſ.* 22. KHONI *Ibid. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ.* 80. ex quibus tamen perperam continuator Materiæ Medicæ Geofroyanæ, *T. IX. p.* 230. noxias partes Roſis ineſſe concludit. Inſervire deſtillationi aquæ Roſarum cunctæ quidem odoratæ ſpecies poſſunt, ob præſtantiam tamen odoris, & copiam ingentem in qua haberi poteſt, Centifolia potiſſimum ſeptima noſtra ſpecies, ejuſque omnes varietates, officinis *pallidæ* aut *incarnatæ*, & juxta SCHROEDERUM *Pharmac. L. IV. Cl. I.* 292. *Zebethinæ* quoque dictæ recipiuntur. Aquam tamen e ſylveſtribus quidam præferunt, inter quos TABERNÆMONTANUS eſt. Eandem ad vertiginem LONICERUS laudat. Aquam ex alba præſtare & odoratiſſimam eſſe cenſet SCHWENCKFELD *Stirp. Sileſ. L. II. p.* 332. Hæc oculis præcipue confert. Dicunt tamen perinde eſſe, ſi & e pallida deſtillatam ſumſeris. Stillatitiam e canina aquam ophthalmico ſcopo antecellere ait

LEMERY.

Lemery *Cours de Chymie p.* 658. E Roſa Damaſcena paratam alvum ſimul majori doſi ſumtam laxare Hermannus in *Cyn. Mat. Med.* refert.

§. VIII.

Laxandi fine adhibemus & modo dictam pallidam Roſam, & albam, quæ tamen Chabræo, Fumanello & Schulzio *in Mat. Med.* teſtibus, omnium minime purgat, tum Damaſcenam præcipue, &, licet rarius, moſchatam. Sylveſtribus ne tantillum quidem facultatis dejiciendi alvum eſſe Matthiolus *ad Dioſcor.* docet. Solent eas aut aquæ incoquere aliisque laxantibus ἐκκοπροτικοῖς miſcere, aut vernis iſtis curationibus quas vocare ſolent, una cum aliis laxantibus floribus ſero lactis infundere, cui ſcopo præcipue Roſa Damaſcena nobis N. IX. dicta, Germanis *die Molcken-Roſe*, vel *Damaſcener-Roſe* inſervire ſolet. Eſſe quoque, quibus vel odor Roſarum alvum moveat, Schulzius auctor eſt *M. M. p.* 181. Moſchata, ab Arabibus introducta, rarius utuntur, tum quod vix apud nos niſi in curioſorum hortis alatur, tum quod aliqua infamiæ nota illi adhæſerit, quippe quam & Amatus *ad Dioſc. L. I. C.* 120. *p.* 171. ſiniſtros effectus edidiſſe narrat, exitioſiſſimumque medicamentum eſſe contendit, & ternario ſaltem aut quaternario numero ſumtam, vomitus ſæpe & hypercatharſes producere Lemery *Dict. des Drogues*, & ex eo Continuator Mater. Med. Geofr. perhibet. Idem tamen & pallidis Roſis accidere Fernelius adnotat. Hos contra Monardes inter benedictas medicinas benedictiſſimam vocat, neque ego, cum illam tentarem, aliquid ſiniſtri expertus ſum. Matthiolus etiam *Epiſt. L. II. contra Amatum Cenſ.* 16. ſine incommodo ſe ſumſiſſe refert, acerbiſſimeque in Amatum invehitur. Conciliari forte poſſunt Amatus & Matthiolus ex eis, quæ Lemery *Tr. des Drogues p.* 656. docet, quod in calidis regionibus fortiſſime purgent ad ſanguinis uſque ejectionem,

 apud

apud nos vero mitiores ſint. Laxativam hanc virtutem a rore, quo Roſæ matutino tempore madent, augeri putant VARANDÆUS *de morb. inteſt. C. 3. Obſ. 369.* & HERMANNUS *Cyn. M. M. P. I. C. 7.* Illud certum eſt, recentibus majorem præ ſiccatis laxandi vim eſſe. *Syrupum Roſarum ſolutivum* officinæ noſtræ habent, ad quem Moſchatam Roſam recipere Diſpenſatorium quidem jubet, in quarum autem defectu, Damaſcena noſtra, aut etiam pallida adſumitur. Ceterum ut omnis ambiguitas tollatur, notandum eſt, in denominatione Roſarum Moſchatarum Auctores non convenire. MONARDES promiſcue Roſarum Perſicarum, Alexandrinarum & Damaſcenarum voce utitur, noſtramque Moſchatam intelligere videtur, quod eam numeroſiorem quantitatem florum effundere dicat, licet colore inter album & rubrum medio gaudere ajat. SALZMANNUS vero Alexandrinam ſive Perſicam a Damaſcena diſtinguit, FUMANELLUS e contrario Moſchatam eandem cum Damaſcena facit.

§. IX.

Adſtringit magis ea Roſæ ſpecies, quæ Provincialis, officinis *Roſa rubra*, noſtratibus *Knopf-Roſen*, quia nondum expanſæ carpuntur, & *Eßig-Roſen*, quia acetum roſaceum inde confici ſolet, nominatur. Præ hac tamen albam magis adſtringere CHABRÆUS *Sciagr. Stirp. Cl.* 14. & SEBIZIUS in *Speculo Med. Pract. p. 68.* contendunt, quod tamen experientiæ minus reſpondet. TABERNÆMONTANUS etiam recentem magis ſtypticam eſſe quam ſiccatam ſtatuit. Conducit Roſa rubra ubicunque roborare & fibram ſtringere animus eſt, plurimæque ex ea paratæ compoſitiones, Acetum, Conſerva, Saccharum, Mel, Syrupus, Tinctura &c. partim hoc ſcopo, partim analeptico exhibentur. Conſerva ob gratiam vulgatum apud nos electuariorum antifebrilium conſtituens eſt. Hujus proprie petala exſiccari & inter cordiales quatuor flores ſervari conſueve-

conſueverunt, reſectis prius unguibus, ob humiditatem uti FUMANELLUS vult, quæ putreſcere faceret. In qua quidem re ſibi parum conſtat Vir ille, qui paulo poſt *in fine Cap. II. de Roſ. facult.* ungues tanquam partes calidiores ad lippitudinem facere adſerat. Potius ergo ideo exungulari crediderim, ne ingrato pallore intenſa foliolorum rubedo, in flore cordiali, ad cujus colorem ſummopere reſpexerunt Veteres, alteretur. Sentit mecum Continuator *Mat. Med. Geofr. T. IX. p.* 243. Conſervam Roſarum rubrarum præcipue antiquam, tanquam ſpecificum Antiphthiſicum laudant jam antiquitus AVICENNA *L.* 3, *fen.* 10. *tr.* 5. *C.* 6. MESUE *C. de Phthiſ.* VALESCUS DE TARANTA *L.* 3. *C.* 11. VALERIOLA *L.* 5. *Obſ.* 5. FORESTUS *L.* 16. *Obſ.* 58. RIVERIUS *Prax. Med. L.* 7. *C.* 7. CRÜGER. E. N. C. *Dec. II. Ann.* 4. *Obſ.* 9. &c.

§. X.

Præbet nobis Roſa aliud adhuc remedii genus, quod multo potentius adſtringit, cuique anodynam ſimul virtutem eſſe plurimi ajunt, quamvis ſuperſtitioſum ejus uſum eſſe LINNÆUS *Am. Acad. Diſſ.* 28. *T. II. p.* 324. *n.* 90. pronunciet, & in uſu apud nos eſſe fere deſierit. Scilicet Roſis noſtratibus ſpontaneis, quando a Cyniphe nigra, abdomine ferrugineo poſtice nigro, pedibus ferrugineis LINN. *Syſt. Nat. Sp.* 1. punguntur, vulnerique ovum ſuum Inſectum commiſit, increſcunt Gallæ rubentes mox glabræ, mox hiſpidæ & cirrhoſæ, cellulisque diſtinctæ. Conf. REAUMUR *Mem. des Inſect. III. T.* 46. & 47. nam ea quorum MENZEL. E. N. C. *Dec. II. Ann. II. Obſ.* 10. & *Dec. II. A. V. p.* 347. mentionem facit inſecta, gallæ hujus auctores non ſunt, ſed Ichnevmones. Has gallas *Conſervam Cynosbati*, *Spongiam Roſæ ſylveſtris*, *Bedeguar* vocare ſolent, quod ultimum nomen male illi convenire quidam Auctores cenſent, quum Cardui ſpeciem Arabibus hoc nomine venire dicant. Laudatur ad hæmorrhagias

morrhagias & vulnera ab HERMANNO *Cyn. M. M.* tum ſpeciatim ad hæmorrhagias narium, hæmoptoën, hæmorrhoidum dolores, hernias, uteri prolapſus, ſtrumas, calculum, colicam, dyſenteriam, phrenitidem, cephalalgiam, alopeciam, ulcera venerea, a plurimis auctoribus, quorum magnum numerum recenſitum videas apud DERCUM *Diſſert. de Roſa, Wirceburg.* 1751. & HAGEDORN. *Cynosbatolog.* tum ad dyſuriam, vermes, morſum canis rabidi & ſerpentum, febres continuas, ſcorbutum, ab HERMANNO *Cyn. Mat. Med.* Vermiculos galla hac comprehenſos, qui larvæ prædictæ Cyniphis Roſanæ ſunt Epilepſiæ mederi dicit SERAPIO & ZWÖLFERUS, Vermibus, MACASIUS *prompt. Mat. Med. L.* 2. Vigiliis, BARTHOLETUS *de Reſpirat.* adſectibus viſcerum uropoieticorum HERMANN. *Cynoſ. M. M.* morſui canis rabidi GEBELHOVER. *p.* 302.

Atque hæc quidem omnia ita videntur comparata, ut has vires ubi adſtringendo exſeruntur lubentes concedamus, ita tamen ut eas ab aliis æque facile & tutius forte impetrari poſſe credamus. Reliquæ vero ſpecificæ virtutes, donec iteratis Virorum auctoritate gravium experimentis confirmentur, indicatæ ſaltem a nobis ſunt, nequaquam pro certis habitæ. Retuliſſe tamen eas, & in ſynopſi quaſi ſtitiſſe eo magis noſtri officii fuit, quo magis magnam partem circa tales morbos verſantur, quibus certa adhucdum medicina nondum inventa eſt, quique cum ex artis theoria ſanari difficulter poſſint, ſaltem eorum remediorum tentamen efflagitant, quæ aliquando profuiſſe feruntur.

§. XI.

Fructibus Roſarum non minor quam floribus in Medicina laus eſt. *Cynosbatos baccæ* Latino, *Butten*, *Hagebutten*, *Hüfen*, Germanico, *Grateculs* Gallico ſermone dicuntur. Peculiarem contra hos antipathiam virginis cujuſdam, quam

E. N. C.

E. N. C. *Dec. II. A. VII. Obſ.* 49. referunt, an credere fas eſt? Pomiferæ Roſæ fructus toroſi, omniumque ſpecioſiſſimi condiri ſaccharo ſolent, grata in epulis bellaria. E ſylveſtrium baccis pulticula coquitur, Roob Arabes dicunt, œconomico pariter & Medico uſu nota. Celebrata his maxime diuretica virtus eſt, plurimorumque Auctorum experientiis firmata. Noſtrati certe plebeculæ non aliud magis præſentaneum ad urinæ difficultatem remedium eſt, quam Cynosbatos & Alkekengi baccarum infuſio, aut Roob e Cynosbato coctum. Sic etiam ad mictum cruentum commendat TIMÆUS A GÜLDENKLEE *Caſ. Med. L. III. C.* 40. nec fortiorem dari ad pellendum calculum Medicinam PARACELSUS tradit, plurimique poſt eum Auctores, inter quos CHARLETONUM *de Lithiaſi*, BARTHOLINUM *de Medic. Danor. diſſ.* 4. FELICEM PLATERUM *Prax. L. II.* HEURNIUM *Meth. ad prax. L. II.* SENNERTUM *Prax. P. VII. L.* I. *C. VI.* magni nominis viros nominaſſe ſufficiat. Alii baccarum loco arillos in illis contentos recipiunt, e.g. TRAGUS *Herbar. C.* 19. *p.* 365. eoſdem etiam baccis præfert DERCUM *l. c.* elegantemque inde emulſionem parat. Iis baccarum Coffeæ ad inſtar toſtis quoſdam uti docet SCHULZIUS *Mat. Med. p.* 238. Ad eryſipelas & Odontalgiam facere, ſternutationem quoque movere FUMANELLUS *de Roſ. Temp. C. VII.* refert, eadem genituræ fluxum ſiſtere LEMERY *Traité des Drogues* habet. Spiritum ex fructu cum ſeminibus deſtillatum adhibuit ad Icterum CRÜGERUS *diſſ. de Ictero.* Verum fructus præter jam dictos aliis quoque morbis mederi leguntur. Bis exoptatum in confirmata Hydrope effectum inde expertus eſt HAGEDORN. *Cynosbatolog. p.* 154. nec minorem E. N. C. *Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ.* 189. prædicant. Tum ad Diarrhœam bilioſam RIVERIUS *L. X. C. V.* ad Dyſenteriam FREITAG *auror. med. L. I. C.* 34. & TIMÆUS A GÜLDENKLEE *tract. de Dyſent.* quo etiam fine electuarium quoddam antidyſentericum noſtras olim ingreſſum eſſe, HAGEDORNIUS auctor eſt, quod

tamen in nullo noſtrorum diſpenſatoriorum ſervatum fuit. Ad Gonorrhœam celebrat FUMANELLUS *de Roſ. Fac. C. VI.* contra hæmorrhagias uteri, fluorem album, faucium adfectus, tuſſim, citati apud HAGEDORNIUM Auctores. Tandem adverſus paralyſin & membrorum contabeſcentiam *Medic. Dygbæan. T. II. p.* 97. & contra eandem lanugine ſeminum tanquam irritante (quippe quæ in cute intolerabilem pruritum cauſatur,) externe adplicito HAGEDORNIUS ipſe *p.* 180. & aqua ex fructibus deſtillata ad lippitudinem TABERNÆMONTANUS utuntur.

§. XII.

Radix Roſæ Eglanteriæ Antilyſſa habetur. Commendant eam jam hoc fine PLINIUS *L. XXV. C.* 11. qui ſuis temporibus oraculo patefactum, unicum tunc adhuc contra dira canini morſus Symptomata ſpecificum remedium refert, & *Liber de Veterinaria* VITRUVIO adſcriptus, citante SYMPHORIANO. Horum potius auctoritate ducti quam vere experti idem docere videntur DODONÆUS, CÆSALPINUS, TRAGUS, P. HERMANNUS aliique. Ingreditur tamen celebre Cataplaſma antilyſſum Equitis DIGBY, illudque remedium, quod plurima experientia comprobatum, & A. 1748. publici juris factum recenſet Continuator *Mat. Med. Geofr. T. IX. p.* 257. ad eundem quoque morbum cortice intermedio utitur WELSCHIUS *in mictomimemat. p.* 24. quæ in E. N. C. extant. Radice pro amuleto contra ſerpentum & ſcorpionum ictus uti, ex Veteribus SYMPHORIANUS docet. Infuſo ejus tanquam aperiente Hepatis infarctus & Melancholiam Hypochondriacam reſolvere RIVERIUS *L. X. C.* 3. & *L. XII. C.* 5. tentavit. Spicula quoque cuti infixa radice Cynosbati extrahi poſſe, tum Veteres, tum SCHROEDERUS *Pharmacop. L. IV.* BOECLERUS *Contin. Cyn. Mat. Med. p.* 120. & ejuſdem floribus TABERNÆMONTANUS *Herbar. L. III. p.* 1449. perhibent.

Sunt

Sunt & alii adhuc bene multi modi, quibus Roſarum partes ad medicos uſus trahi conſueverunt, effectu alios magis, alios minus ſequente. Calyces ſive Alabaſtros, qui AUSONIO obeliſci, HIERONYMO corymbi dicuntur, una cum antheris pediluviis uterino ſcopo infundere, a longo retro tempore mulierculis noſtratibus uſu receptum eſt. Antheras quidam dentifriciis pulveribus indere ſolent, commendante jam DIOSCORIDE. Interne quoque adſtringendi fine in hæmorrhagiis internis exhibent. Ad fluorem album PLINIUS notante MATTHIOLO *ad Dioſcor.* Ex ligno quidam dentiſcalpia formant. Succo Roſarum depurato, quod *Muccharum* dicunt, Arabes Scammonium corrigere ſoliti ſunt. Roſeis ſertis caput impedire Veteribus in more erat, ortam ex crapula cephalalgiam aut evitandi aut pellendi cauſa, referente GALENO pluribus in locis, cujus loco hodie placentam reſiduorum ab aquæ deſtillatione foliorum capitis doloribus opponere ſolent. Ad oculorum morbos Roſa alba præcipue multum ſemper extollebatur, unde Salernitani canunt:

Fœniculum, Verbena, Roſa, Chelidonia, Ruta:
Ex his confice aquam, quæ lumina reddit acuta.

Rorem quoque Roſis inhærentem ad lippitudinem ex DIDYMO SYMPHORIANUS *Hortor. L.* 30. & FUMANELLUS *C.* 8. referunt. Summitates teneras in acetario adſumtas lienoſis prodeſſe TABERNÆMONTANUS *p.* 1497. & folia Chloroſi conferre idem ex PLINIO tradit. Eadem folia Theæ ſubſtituuntur a THOMASIO E. N. C. *Cent. III. & IV. Obſ.* 199. *p.* 473. & *Cent. VII. & VIII. Obſ.* 86. *p.* 424.

Præparata ex Roſa, quorum SCHROEDER *Pharmacop.* triginta ſeptem numerat, mitto recenſere, cum præcipua jam dixerim, reliqua vero parum de Roſa recipiant. Spiritum tamen per fermentationem paratum ſicco pede præterire non poſſum, quem egregie reficientem ad Syncopen & palpitationem

nem cordis laudat LEMERY *Cours de Chymie pag.* 661.

Ut finem omnibus his ſcriptorum auctoritate celebratis Roſarum virtutibus imponam, nulla fere corporis humani pars, nullus morbus eſt, cui non ab aliquo medicina e Roſa præſcripta ſit; quin & ad ipſam vitam prolongandam, nugator PARACELSUS Cynosbati flores tanquam ſummum ad ſervandos ſenes arcanum propoſuit. Sed ohe jam ſatis eſt! Ne talia cumulando, quæ aut nullius aut ſubleſtæ fidei ſunt, veris quoque & uſu probatis decoræ Roſæ virtutibus aliquid detrahere videar, manum de tabula. Tu, B. L. ut benigne de mea opella judices, illius Ciceroniani memor eſto: *nil quidquam difficilius eſſe, quam reperire in omni ſuo genere perfectum.*

FINIS.



© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2010